



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Tractatus Tertius. De III. & IV. Præcepto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

TRACTATUS III.

De Tertio & Quarto Præcepto.

CAPUT I.

Quid tertium Præceptum? Memento, &c.

Præceptum hoc, quatenus vult tempus ali- quod sanctificari, siue impendi cultui divino est naturale, & adhuc obligat: quatenus verò tempus id designatur dies Sabbathinus, est ceremoniale, & in N. Test. abrogatum, ac pro eo ab Ecclesia designatus dies Dominicus, & festi; præscriptusq; modus colendi, ut quædam opera illis diebus fiant, quædam non: hæc prohibentur, illa præcipiuntur. Bon. Laym. ex D. Tho. 2. 2. q. 122.

DUBIUM I.

Quæ opera tum hoc præcepto, tum ab Ecclesia prohibeantur?

Resp. I. Die festo prohibentur omnia opera servilia, hoc est, quæ & versantur circa materiam externam; & vel mechanica & illiberalia sunt, v. gr. suere, fabricare; vel requirunt tantum laborem corporis, & ab operariis tantum & servis fieri solent. Ita DD. communiter v. Lay. l. 4. tr. 7. cap. 1. Suar. Fil. &c. ex D. Thom. l. c. Unde resolves.

I. Impertinens est ad rationem operis servilis, utrum fiat ex lucro, an ex recreatione; ex hac, an ista intentione, pia, vana & turpi, Cajet. Suar. Lay. l. c. &c. contra Syro. & Canonistas.

II. Impertinens quoque est, siue fiat cum defa-

tigatione & labore, siue non; siue brevi, siue longo tempore, &c. quia nihil horum mutat naturam operis.

III. Servile non est, ideoque nec prohibitur, festo ludere, choreas ducere, instrumenta musica pulsare, iter facere pedibus, equo, curru, vel navi: unde etiam ad hæc necessaria sunt licita. *Nav. cap. 13. Tol. & Lay. Suar. de fest. c. 27.*

IV. Nec servile est, ducere iumenta sine onere; cum id sit iter facere, ut ait *Fill. hic. c. 9. n. 170.* Ducere autem iumenta, currus, vel navigium onustum mercibus, est servile, *Suar. l. c. Fill. l. c.* Quod si tamen ante festum talia itinera incepta sint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam utilitatem, vel damnum, quod aliàs sequeretur.

V. Item nec servile est, siue gratis, siue pro pretio docere, studere, scribere, transferre: & secundum quosdam, ut *Medinam Lopez & Armillam*, quorum sententiam probabilem docet *Laym* contra *Sa. Fill. Azor & alios multos*, pingere etiam coloribus, (nam de rudibus lineamentis plerique concedunt) terere tamen colores, & non pingere, sed tingere, ut v. g. colorare asseres vel pannos, dealbare parietes, illiberale est.

VI. Videntur etiam excusari posse in typographiis, literarum collocatores, quando post divina collocant neglectum pensum, ut habet *Laym. hic.* Imprimere tamen, servile habetur, *Escob. E. 5. c. 4. Suar. Laym. &c.*

VII. Excusat etiam *Fill. hic. n. 169.* distillationem, quæ sine corporis fatigatione, potius ad experientiam & peritiam fit, quam ex officio, & arte.

VIII. Servile aliqui non putant, (alii contrarium tenent, & excusant per consuetudinem, ad otium aliaque pejoravitanda) venari, *Gran. 2. 2. c. 3. t. 12. d. 4. f. 7. n. 6.* aucupari, militare, gladiari, piscari (saltem in fluminibus recreationis gratia) & similia; piscatio tamen moderata esse debet, *v. Laym. & Fill. tr. 27. c. 9. q. 12. Bon. d. 5. q. 1. p. 2. n. 25. Escob. qui docet, laboriosam, & ex officio, non licere. Similiter quidam excusant puellas ad otium vitandum acu pingentes, Arm. Az. Palaus. Sa. March. v. Dian. p. 5. t. 6. R. 15. & p. 4. tr. 4. R. 62.*

Resp. II. Prohibentur præterea quædam opera non servilia, quæ dicuntur forensia; ut sunt mercatus, placitum iudicium ad mortem vel pœnam, & strepitus omnis judicialis, id est, actiones, quæ ad decisiones causarum, tam civilium, quam criminalium, tam secularium, quam Ecclesiasticorum spectant. *Ita comm. Doct. ex cap. 1. de feriis. Unde resolves.*

I. Festo non licet citare, adducere testes, id est, exigere iuramentum iudiciale: proferre & executam sententiam: quæ si feratur, est irrita. *v. Laym. l. 4. t. 7. c. 2. n. 7.*

II. Nec licet emere & vendere res non necessarias, negotiari publicè vel privatim, inire contractus emptionis, locationis, permutationis, &c. (nisi ex consuetudine, vel aliis iustis causis excusentur) quia intelliguntur nomine mercatus, qui prohibitus est. *c. 1. de feriis. ut docet Bon. ex Suar. c. 13. & Fill. t. 27. c. 10. q. 2. n. 180.*

III. Festo licet excommunicare, dispensare, iudicium privatim informare, advocatum consulere,

con-

consilia conficere, eligere, &c. quia non requirunt
strepitum judiciale. v. *Bon. l. c.*

DUBIUM II.

*Qua causa excusent ab observatione festo-
rum, ob quas opera prohibita
liceant?*

Tales præcipuè sunt septem:

Prima. Dispensatio Episcopi, vel habentis po-
testatem, quasi Episcopalem: ut superiores Religi-
onum, imò & Parochi, quando non datur facilis
accessus ad Episcopum. *Suar. c. 33. Lay. c. 4. num. 2.
Bon. p. 1. n. 20.*

Secunda. Consuetudo: nam sic licent munditiæ
illæ in festis passim haberi solitæ; & præparaciones
deliciarum non necessariorum, ut cupidiarum, pla-
centariorum, & similiarum ciborum artificiosorum: item
emptiones & venditiones regularum parvi mo-
menti. *Bon. l. c. Laym. l. c.*

Tertia. Pietas in Deum: per quam licent opera,
quæ proximè, (non quæ remotè) spectant ad cul-
tum Dei; ut pulsare campanas, circumferre ima-
gines, vel cruces, in supplicatione. Ornare au-
tè, & verrere templa, ac similia, quæ ad ipsi offi-
cium non spectant, si absque ratione in festum
differantur, venialia habentur. *Fill. num. 218,
Bon. l. c.*

Quarta. Charitas erga proximum: per quam li-
cent, & valent actus judiciales pauperum, orpha-
norum, viduarum, & miserabilium personarum,
ne expensis graventur. Sic etiã possunt rusticano-
rum in parvis oppidis, si aliis diebus adesse neque-

ant, causæ civiles agitari. Similiter licet pauperibus & infirmis, pro tunc egentibus, subvenire. Item emere & vendere rusticis, qui alijs diebus impediuntur. *Laym. c. 2. n. 7. v. Dian t. 1. R. 34.*

Quinta. Necessitas propria vel aliena, corporis vel animæ; si nimirum sine gravi incommodo, aut detrimento aliquid omitti non possit. Quomodo excusantur. 1. Judicia, quæ celeritatem requirunt: v. g. si latro sit fugiturus, nisi tunc capiatur. 2. Servi & ancillæ coacti à dominis laborare, nec audentes recusare: quod si tamen frequenter contingat, eos deserere debent. *Suar. Laym. l. c. 3.* Idem & similes reficientes suas vestes, cum id alijs diebus non possint. 4. Pauperes, qui se suasque alere non possunt, operantes privatim, sine scandalo; maximè, quando multi dies festi concurrunt, *Bon. n. 13.* 5. Cocci & culinarii. 6. Pistorum, laniones, & similes in oppidis populosis, & concursu festorum. 7. Chirurghi, & pharmacopolæ. 8. Conflatores ferri & vitri, coctores laterum, calcis, &c. & quicumque, quorum opus semel coeptum non potest interrumpi sine damno. 9. Molitores, & naucleri pendentes à ventis. 10. Piscatores halieum, tinnorum, &c. qui certò tantum anni tempore id possunt. 11. Instauratores fontium, pontium, viarum publicarum, & similium, quæ moram non patiuntur. 12. Sartores in operibus necessariis, ut funeribus, nuptiis, &c. si aliter fieri non potest, ut satisfaciant. 13. Agricolaë ad cavendum damnum ruri laborantes; ut si ob pluviam imminentem segetes vel scœnum congregent, *Bo. n. 13. Fill. n. 211. 14.* Deniq; excusantur etiam merca-

tores, qui clausis tabernis quædam vendunt, cum præsupponere possint, emptoribus ea tunc esse necessaria, nec aliàs commodè emere posse. De supradictis v. *Suar. Fil. Laym. Bon. ll. cc.*

Sexta. Utilitas, non simpliciter necessaria, sed ad communem lætitiã, vel splendorem: sic enim licet in adventu vel ortu principis laborare, ut perficiantur theatra, ignes, vestes, &c. Quanquam monet rectè *Suar.* præstare in hoc casu petere veniam à pastoribus. v. *Bon.*

Septima. Excusat item, saltem à gravi peccato, parvitas operis, seu temporis. Unde grave non videtur una hora laborare, ut habet *Suar. l. 2. de festis c. 32.* maxime, ut notat *Laym.* si labor non sit nimis servilis, & fatigans corpus. Imò durum videtur mortalis damnare, si quis duas aut tres horas impendat, v. *Fil. t. 27. c. 11. q. 1. n. 105.* In forensibus autem & judicialibus, materiæ quantitatem non ex quantitate temporis, sed qualitate operis desumendam, monet *Escob. E. 5. c. 3. n. 14. ex Palao. tom. 1. tr. 9. d. 2. p. 3. n. 4.* Sic grave peccatum esse asserit venditionem rei magni momenti, cum magna solennitate, licet brevi tempore fiat. Quod intellige (secundum supradicta) nisi consuetudo, vel necessitas excuset.

DUBIUM III.

Quæ opera festis præcipiantur?

Resp. Præcipitur I. Auditio concionis: non tamen sub mortali, nisi quatenus quisq; tenetur discere necessaria ad salutem. v. *Trid. sess. 24. c. 4. de*

H 5

re-

reform. Fill hic c. 8. Bon. t. 1. d. 5. q. 1. p. 2. n. 27. Suar. & c. Dixi, nisi quatenus, & c. quia homines rudiores ignorantēs præcipua mysteria fidei, ea præfatum, quæ sub gravi obligatione eos scire teneri, dictum est supra *l. 2. t. 1. c. 1.* tenentur lege charitatis, (si alias commodè addiscere non possint) sub gravi peccato concioni, vel potius catechesi interesse. *Bon. d. 5. in prac. 2. n. 28.* addens eo casu concionem etiam missæ præferendam esse. *Trull. l. 1. d. 4. n. 12. Fagund. & c. 2.* Præcipitur speciali præcepto, obliganti sub mortali, audire missam, hæc morali & humana assistentia, sive præsentia ei interesse. Est communis ex *cap. Omnes fideles, & ex cap. Missas de consec. dist. 3.* contra *Anglum & Rossellam*, qui semel vel iterum negligere, dicunt esse veniale. Obligat hoc præceptum, omnibus fœtis, omnes baptizatos usum rationis habentes: non autem infantes, amentes, vel catechumenos. Ratio primæ partis, quia est universale. Ratio secundæ, quia assistentiam humanam habere non possunt. Ratio tertiæ, quia non sunt Ecclesiæ subiecti, *C. Lugo di. 22. f. 1. & 2. ex Nav. Sanch. & Com.* Unde resolves.

I. Non est obligatio audiendi concionem in Parochia propria: tum quia DD. multi nullum hæc de re præceptum agnoscunt, cum *Trid. sess. 24. c. 4. de ref. dicat, teneri ubi id commodè fieri potest:* tum quia, si qua obligatio fuit, ei derogatum est per privilegia Regularium, & generalem consuetudinem contrariam. *Suar. de reb. t. 1. l. 2. c. 16. Az. Nav. Cened. Zerol. p. 1. v. predic. Trull. l. 2. c. 1. d. 4. v. Barbosa, in Trid. sess. 24. c. 4.* Imò Fratres Prædicatores, & Mi-

& Minores, & qui cum ipsis in privilegiis communicant, concionantes in suis Ecclesiis, quovis anni tempore possunt auditoribus suis concedere 18. annos, & 320. dies Indulg. nomine Papæ. *Dian. p. 4. t. 4. R. 22. ex Rodrig. &c.*

II. Non est obligatio ad audiendam Missam feria quinta & sexta, & Sabbato Majoris hebdomadæ, neq; diebus Rogationum. *Az. Henriq. Suar. d. 88. f. 5.*

III. In die Nativitatis Christi tantum teneris audire unam Missam. *Navar. Suar. Fill.*

IV. Satisfacit, qui recitat sub Missa (ex obligatione) Horas Canonicas, vel pœnitentiam injunctam in confessione, ut contra *Cajet. Sylv. Aug. Armil.* docent *Suar. Sa. Rodrig. Fil. &c.* Ratio, quia duob. præceptis potest simul satisfieri, ut *v. supra l. 1. t. 2. c. 3. dub. 3.* Idem de eo, qui confitetur tempore Missæ, affirmat *Regin. li. 19. n. 14.* dummodo intentionem habuerit audiendi Missam. Negat autem *Suar. d. 88. sess. 6. Azor. c. 7. q. 6. Gordonus C. Lugo l. c.* si quidem possit differre confessionem, nec adsit necessitas præcepti confessionis. Idem dicit *Bonac d. 4. q. ult. p. 11.* ubi contrariam praxin, quorundam excusat, vel ob necessitatem communicandi, vel intentionem audiendi Missam aliam, vel denique ob bonam fidem.

V. Satisfaciunt etiam inservientes Missæ, si recedant allatum necessaria, v.g. vinum, hostiam, thus, &c. quia cum hæc ordinentur ad officium, non censentur abesse: dummodo non recedant ab Ecclesia, vel saltem non longè. *v. Bon.*

VI. Peccat, qui non audit integram missam; &

quidem venialiter, si omittatur parva pars, mortaliter, si notabilis, v. g. media, vel tertia pars, *Laym.* tamen. & alii durum putant, mortalis damnare eum, qui ab Offertorio, usq; ad finem adfit. Additque communiter excusari à mortali, qui audit à principio Epistolæ, vel secundum alios, Evangelii usq; ad finem; vel ab initio usq; ad Communionem, v. *Bon. c. 1. d. 4. q. ult. C. Lugo d. 22. sec. 1. n. 3.*

VII. Non peccat saltem mortaliter, qui à duobus Sacerdotibus successivè duas dimidias Missas audit, ut habet *Nav. c. 21. Sa. Sotus. Henriq. Dian. tom. 1. tr. 3. R. 18 Bon. d. 4. q. ult. p. 11. Hurtado contra Suar. Cón. Fagund.* quia audit integram Missam.

N Ob quam causam est probabile, et si simul audiat, ut habet *Bon. l. c. Hurt. & Dia. contra Reg. Cón. C. Lugo, & c.* quorū sententia videtur probabilior.

VIII. Non satisfacit, qui sub sacro dormit, pingit, docet; vel qui est post murum, aut aliam rem, tali loco, unde nihil audiri, videri, vel notari possit quid fiat: quia non censetur moraliter præsens. Satisfacit tamen surdus, cæcus, & quicumq; (licet post ostium, aut columnam, vel in fenestra, vel procul à templo) ita est præsens, ut ex signis externis colligere possit, quid à celebrante agitur, spectata loci natura, etiamsi ipse per accidens nihil au diat, videat, aut intelligat, sitq; pars per mortalem conjunctionem ejus multitudinis, quæ dicitur præsens, & est in conspectu altaris, *Bon. l. c.*

IX. Audiens debet esse attentus, saltem virtualiter, & in confuso, ut aliquo modo advertat quid fiat. Hinc si quis nunc attendat, nunc fabuletur, ut tamen semper advertere possit, quid fiat, licet peccet

accedit ad 53. Inn. XI.

cet irreverentia, non tamen damnandus est mortalis. Imò *Côn. 3 p. q. 83. cū Sylv. Rosel. & Medt.* docet, eum satisfacere, qui voluntariè toto sacro est distractus, modò sibi sit præfens, & cum reverentia externa assistat. Quod probabile esse docet, *Laym. contra Suar. Bon. & alios. v. Côn. l. c. & C. Lugo. n. 26. 27.* Plura de tota hac materia. *v. supra l. 1. tr. 2. cap. 3. dub. 2. 3. & 4.*

X. Præceptum audiendæ Missæ imp'etur quocunque in loco, sive in Parochiali, aut Cathedrali, sive in Regularium Ecclesia, sive in oratoriis privatis, sive extra Ecclesiam audiatur. Ratio, quia Ecclesia tantum auditionem Missæ præcepit, non autem locum; ergò quovis loco impletur. *Toll. l. 9. c. 7. Azor cap 6. Rodrig. Nav. Fill. Nung. Suar. Côn. Bon. d. 4. q. ult. p. 12. n. 4. & plures.* Quæ doctrina licet certa satis sit; nihilominus, quia post omnes supra citatos Authores, à quodam moderno, viro aliàs docto, in dubium vocatur, peculiari dubio examinanda est, nec cui (quia liber obvius est) scrupulus, aut conscientia nascatur erronea.

DUBIUM IV.

An sit obligatio audiendi Missam in Parochia, Dominicis, & festis majoribus?

Resp. Etsi id quidem decens sit, non tamen est obligatio. Est communis Authorum (quos *vide superiore dub. casu ult.*) & ut ait *Cæ Lugo. di. 22. f. 1. n. 2.* certa; etsi *Marchantius in Candelabro mystico, t. 4. c. 7.* & in *Resolutionibus moralibus*, in forma ma-

nualis editis *cap. 8.* in dubium vocat, scrupulumque movere conetur. Ratio est. 1. Quia nullum extat ea de re præceptum. 2. Quia *cap. Ut dominicis*, jubetur Parochus ante Missam ejicere eos, qui proprio Parocho contempto; isthic Missam audire vellent; ergò sine contemptu (formali) licet. 3. Quia *cap. Si quis de consec.* jubentur iis, qui habent oratorium domi in majoribus festivitibus audire sacrum in Parochia, vel in civitatibus. 4. Quia universalis fidelium, & ipsorummet etiam Parochorum doctorum, & confessoriorum (qui pœnitentes hac de re non interrogant) consuetudo, id non tantum, (ut loquitur *Marchantius l.c.*) insinuat, sed manifestè docet. 5. Quia *Trid. Sess. 2. c. 8.* tantum dicit, populum debere monere, (nò autem teneri) ut frequenter adeant Parochias, saltem Dominicis, & festis majoribus, *v. Fagund. Lugo Barb. Zenedo Trull. l. 3. c. 1. d. 6.*

Neq; obstant, quæ *Marchant.* objicit, ut:

I. Quod jura antiqua decernant contrarium; eò quòd *Sixtus IV. de treuga & pace*, præcipiat, ne Mendicantes prædicent, non teneri audire Missam in Parochia, Dominicis & festis. Nam imprimis ex illo Sixti decreto nihil sequitur; cum is non dicat teneri, sed tantum prohibeat, ne publicè prædicetur, non teneri. Cum enim honestissimum sit, populum audire Missam in Parochia, idque suadere deceat, minimè deceret, id (publicè prætim) dissuadere: nam inde scandala, & proprii Parochi contemptus, sequi possent. Et hoc est, quod Sixtus cavere voluit. Deinde esto antiqua forsitan aliqua jura id habeant, eis posterioribus

rem-

temporibus, per varia privilegia, receptamq; consuetudinem universalem, est derogatum, *Ca. Lugo* & *ceteri Auctt. citi.*

Nec obstat II. Quòd multos Canonistas eam opinionem secutos asserit. Esto enim olim quidam sic senserint: hoc tamen tempore, post tot & tam ampla privilegia, post tam claram & diuturnam consuetudinem, post Eminent. Cardinalium declarationes, & ipsorum etiam Pontificum nota decreta contraria, (ut *v. sequenti Resp.*) an aliqui id doceant, nescio.

Nec III. Locus Tridentini paulò ante in resp. citatus, quem objicit: ut patet ex ipsis verbis, & declaratione Eminent. Card. Authorumq; communi explicatione.

Resp. II. Episcopus non potest censuris, multis, aliisq; pœnis cogere ad audiendam Missam in Parochia, Est contra *Marchant. l.c.* ubi ait. *Regulares ita communiter respondere, ut privilegiorum suorum simbrias magnificent & dilatent phylacteria: & contra Authorem Parochiani obedientis.* Ratio autem est. Quia, ut ait *Nav.* Episcopus non potest tollere (nec restringere) jus commune, & generalem totius orbis consuetudinem. Ita docent præter *Auth. supra cit. S. Anton. p. 2. tit. 8. cap. 10. §. 1. dub. 4. Sylv. V. Missa Tolet. Laym. l. 4. t. 7. cap. 3. &c. & commun. omnes Theologi, & Canonista moderni: afferuntq; Azor. tom. 1. l. 7. c. 8. q. 6. & C. Lugo d. 22. s. 1.* pro hac sententia declarationem Cardinalium in Triden. quæ expressè habet: *Non posse Ordinarium multis & pœnis cogere ad audiendam Missam, vel Concionem in propria Parochia, et. am in*

casu negligentia & contumacia. Et si his duobus, tanquam regularibus minus fidat, legere potest eandem declarationem apud *Barbosam in Trid. sess. 22. cap. 8. de sacrif. Missæ, & sess. 24. de reformat. c. 4. n. 12.* Item *Tractatu de officio & potestate Parochi,* ubi eandem sententiam *Barbosa* ipse sequitur, & pro ea supra viginti Authores celebres, partim Theologos, partim Canonistas, quæ Regulares, quæ non Regulares, citat. Vide ejusdem *Remissionis in Tridentinum, impressum Ant. v. verpie An. 1644. & Zerolam in praxi Episcopali p. 2. V. Parochia, & p. 1. V. Missa §. 6.* Idem disertis verbis confirmat *Clemens VIII. Anno 1592. 22. Decemb. decreto suo circa hanc ipsam controversiã Duaci excitatam, quo eã dirimit his verbis. Præsenti nostro decreto sancimus, licere secularibus, Christiis, fidelibus universis, Missas diebus dominicis & festis aliis majorib. audire in Ecclesiis, tam Fratrum Præd. quã aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societ. Jesu, juxta eorum privilegia, & antiquas consuetudines, dummodò id in contemptum parochialium Ecclesiarum non faciant, & tam dictis Fratribus Prædicatoribus, ac Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore, confiteri licitè posse, &c.* Quod si verò dicta privilegia, & alia similia clarius cognoscere lubet, inspiciatur, (ut alia taceam) Compendium privilegiorum Societ. Jesu, ubi præter *Leonis X. clara sunt verba Pauli III In extrau. data Anno 1649. Kal. Novemb, quæ incipit, Licet*

debitum, quò omnibus Christi fidelibus, cuiuscunq; conditionis, qui verbi Dei prædicationibus, in templis ejusdem Societatis interfuerint, concedit, ut ibidem Missas audire, & Sacramenta recipere, liberè & licitè valeant; neq; ad id ad Parochiales Ecclesias accedere teneantur. Porro, ne quis miretur, tam ampla privilegia Regularibus concessa a variis Pontificibus, placebit inspicere eorum Bullas, in quibus reperiet motiva gravissima: aut si nec inspicere lubet, recogitet saltem, Deum ipsum Innocentio III. (dum vidit Ecclesiam Lateranensem jam jam ruituram) ostendisse eam sustentari à S. Dominico, & S. Francisco. Consideret, quòd sicut olim in varias orbis plagas, & in ipsam Germaniam, doctrina Christi, translata est opera Regulariù, ita sine eorum subsidio conservata diu non fuisset, vel saltem minus florisset. Et denique ne Regularibus succenseat quisquam, quòd privilegia sua tueantur, sciendum est, quòd sine consensu Sedis Apostolicæ iis renunciare, aut cedere non possint: *ut v. l. 2. Decret. tit. 43. de arbit. c. 5.* imò etsi faciant, irritum fore, & peccaturos, quia injuriam inferent Ordini, & Ecclesiæ toti.

Nunc ad argumenta Marchantii breviter respōdeo.

I. Affert authoritatem cujusdam P. Capuccini, qui *Parochianum obedientem* scripsit. Et huic quidem me paulò ante sat multas gravesq; authoritates opposuisse existimo.

II. Ait, quorundam Episcoporum praxin esse contrariam, eamque fundari in jure antiquo, & novo. *Trid. l. c. sess. 22. & sess. 24.* ubi dicit; Teneri unumquemq; Parochiæ suæ interesse, ad audiendum

dum verbum Dei, & rudimenta fidei: hæc autem in plerisque locis ruralibus docentur in Missa; ergo etiam ad Missam possunt compelli.

Resp. I. Praxin istam (sic ubi est) paucorum esse, & contrariam praxi communi Episcoporum, in omnibus regnis & provinciis, & insuper Præfatis summi.

II. Praxin istam, nec fundari in jure antiquo, cum illi, (si quod fuit) per privilegia sit derogatus & abrogaverit consuetudo: nec in novo. Tum quia *Trid. l. c.* loquendo de concionibus & catechesi, nullam facit mentionem Missæ: & in poenalibus non valet illatio. Tum quia Tridentinum expresse addit, (quod *Marchantius* in sua citatione omittit, cum tamen ad rem plurimum faciat) *si commodè fieri potest*. Tum quia nec illam quidem obligationem, quoad conciones, esse receptam, ostendit universalis Ecclesiæ consuetudo, eò quod fortè regulariter *commodè fieri non poterat*, ut notat *C. Lugo l. c.* Neque Catechesis communiter docetur in Missa, nisi fortè in pagis, ubi rarius contendunt Regulares cum Parochis de re præsentis. Denique nescio, an non Episcopi, de quibus loquitur, ex numero fortè sint eorum, de quibus Pius V. in Bulla: *Et si Mendicantium*, queritur, quod etsi Episcopi Ordines mendicantes meritò colere, & adjuvare deberent, nõ solum id negligant, verum etiam Concilii Tridentini verbis in parvum sensum detortis, eos incommodis & perturbationibus afficiant.

III. Citat decreta Synodi Leodiensis, & Namurcensis subjungitque: *Quis verò audiat hac con-*
de.

demnare, & Patres istius Synodi, inter quos multi Theologi fuerunt?

Resp. Decreta ista (& si quæ fortè sunt similia) intelligenda esse, ne cum contemptu proprii Parochi audiant sacrum extra Parochiam: aut si que sensum alium habent, non esse recepta, vel usu abrogata. Ita *Aut. citt. communiter*. Videri potest *C. Lugol. c. Barbosa, & Zerol. q. ll. cc. & dignissimus lectu libellus Francisci Fontani, Concianotoris regii, cujus titulus: Responsa, ad quesita cujusdam primarii Pralati, &c.* excusus primum gallicè Nancæi, Anno 1625. postea verò latinitate donatus, & recusus Viennæ Austriæ, typis Michaelis Rictii, Anno 1634. Mitto rationes cæteras, quibus frequentationem Parochiæ (sine obligatione tamen) persuadere conatur; cum eam, utpote honestam imprimis atq; decentem, minimè improbare, sed erroneam tantum conscientiam impedire intendam, ne videlicet cum persuasione obligationis Parochialia, vel cum apprehensione peccati, Regularium templa frequententur.

DUBIUM V.

Quæ excusent ab auditione sacri?

Resp. Duæ sunt causæ, quarum altera si adsit, non teneris curare celebrari privatim in portatili cum privilegio, neq; (etsi id consilii sit) preces interim alias loco Missæ dicere, ut habet *Nar. c. 13. Snar. Fill. t. 5. c. 5. q. 11.*

Prima causa est impotentia, vel simpliciter, vel moralis, aut difficultas ex notabili incommodo, proprio vel proximi; corporis, vel bonorum, vel

et-

etiam honoris: quia hæc est mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ & benivolæ matris. *Bon. d. 4. q. ult. p. ult. Nav. Fill. t. 5. cap. 7. q. 11, Suar. d. 85.*

Secunda causa est, quodcunq; motivum rationabile, quo quis bona fide putat se excusari. v. Suar. in 3. p. s. 6. c. 5. Lay, & Bon. l. c. Unde resolves,

I. Excusatur, qui sunt in navigatione, vel carcere, Item in morbo, vel convalescentia, in qua obstitit prodire foras. Item, qui sunt in excommunicatione, vel interdicto; de quo suo loco.

II. Item, qui custodiunt castra, urbem, gregem, infantes, (vel puerum, qui in templo quietus, & sine perturbatione aliorum contineri non potest) vel domum, aut agris solatio sunt, aut coquere debent, & similia curare, quæ omitti non possunt. *Bon. Cõn. n. 86. & 314.*

III. Item, cui periculum est gravis offensionis mariti, parentum, vel dominorum. *Henr. Suar. Fill. n. 227.* Si tamen id ferè semper fieret, de alio medio laborandum esset.

IV. Item, si quis alioqui omisurus esset occasionem commodam itineris, v. g. socios, cum viam ignoret, vel pericula metuat. Alias vero tenetur ad Missam ante iter vel in itinere. *Suar. s. 6. Rodriq. Bon. l. c.*

V. Si sit gravis difficultas eundi ad Ecclesiam ob distantiam, v. gr. unius vel alterius milliaris Germanici, vel etiam minoris spatii, maxime, si via sit molesta, cœlum pluvium. Ubi habenda est ratio personarum, loci, temporis, & consuetudinis. *Bon. Suar. Fill. l. c. Marchant, Resol. past. t. 4. c. 6. n. 7.*

VI.

VI. Si ex consuetudine patriæ fœminæ egredi non soleant tempore luctus, vel etiam post partum, *Sylv. Caset. Fill. n. 229.*

VII. Si quis non habeat vestes statui suo convenientes, *Nav. Henr. Sa. Azor, Bon. l. c.*

VIII. Si quæ ex oculra fornicatione prægnans metuat, ne id advertatur, si prodeat. *Laym. l. 4. t. 5.*

IX. Si quæ sciret, alteri, à quo perditæ amaretur, secuturam occasionem peccati, si prodiret, *Sa. Fil. n. 227.*

CAPUT II.

De IV. Præcepto: Honora Patrem, &c.

DUBIUM I.

Ad quid teneantur liberi erga parentes?

Resp. Tenentur vi hujus Præcepti, tum genitoribus, tum superioribus, in iis rebus, in quibus quisque, & quamdiu subiectus iis est, amorem, reverentiam & obedientiam præstare; ita ut si notabilis horum defectus sit, in re gravi graviter peccetur: quod facilius fiet respectu parentum, quam aliorum, *Ita communiter v. Fill. t. 18. p. 2. c. 1. Regn. l. 2. c. 1. &c.* Unde resolves.

I. Contra amorem graviter peccat filius, 1. si signa odii parentibus ostendat, & asperè tractet, 2. si torvo oculo ferè semper intueatur, ac ita asperè loquatur, ac si odio haberet, si non subveniat in gravi necessitate spiritali vel corporali. 4. si non impleat eorum testamenta & legata, modò hæres sit. 5. si grave malum, v. g. mortem illis optet. *Na. Regn. l. 20. n. 8. Fill. t. 28. c. 1. q. 3. & 7.*

II. Con-

II. Contra reverentiam graviter peccat filius, 1. Si percutiat etiam leviter, & secundum *Regin.* 2. Si manum ad percutiendum deliberatè attollat. 3. Si graviter contristet. *Regin. l. 20. n. 24. Fill. n. 17. & 18.* 4. Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis, vel talibus, quibus sciat graviter offendendos. 5. Si maledicta, convitia, &c. in eos conjiciat, *Nav. Fill. &c.* 6. Si pauperes despiciat, vel nolit agnoscere, quòd si tamen exterius tantum dissimulet se nosse, & nolit apud se habere, ex justa causa, dummodo provideat de necessariis, *Bon.* excusat à peccato gravi, eò quòd rationabiliter non sine inviti. 7. Si in foro externo etiam de vero crimine accuset, extra crimen hæresis, prodicionis, vel conjurationis in Principem, cum non est alius corrigendi modus, *v. Bon. d. 6.*

III. Contra obedientiam graviter peccat. 1. si in re gravi sit inobediens circa ea, quæ pertinent ad gubernationem domus, bonos mores, vel animæ salutem. *Fill. n. 20.* 2. si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam. Indigna autem dicitur, cum qua non potest contrahere sine dedecore juxta suæ regionis usum, non tamen potest exhæredari idcirco. 3. si sine justa causa nolit eam ducere, quam vult parens; maximè si inde sopirentur odia, aut parentum necessitas levaretur. Erit autem justa causa, v.g. si sit impar familia, si infirma, deformis, fatua, vel immorigera. 4. si inconsultis parentibus nubat, ut habet *Sanch.* Potest tamen, ubi consuluit, ipsis invitis prudenter contrahere cum se digna: cum circa electionem status

fit sui juris. *Less. l. 2. c. 40. n. 43. Sanch. l. 4. c. 15. Fill. q. 10. n. 20.* An & quomodo peccent liberi furando parentibus, vid. *infra l. 3. tr. 5. c. 1. dub. 4.* Item, an alienare possint bona, vid. *infra l. 3. tr. 5. d. 2. & li. 3. tr. 5. c. 4. d. 1.*

IV. Tenetur proles alere parentes egentes, aded, ut si in gravi necessitate aliter juvari non possint, teneatur manere in seculo (nisi tamen in hoc illi certum, vel certò valdè probabile periculum salutis immineret) & si religionem sit ingressus, teneatur egredi, & juvare parentes, dummodo eorum necessitas ejus professionem antecesserit. *Fill. q. 5. n. 9. Bon. q. 1. p. 6.*

V. Si verò necessitas post professionem superveniat, si ea extrema sit, tenetur egredi, petita prius, licet non obtenta venia. Si autem sit gravis tantum, in qua ut cunque possint vivere, non tenetur quidem, potest tamen egredi, si Prælati permittat. Quo casu tenetur, in quantum non obstat suo intento, deferre habitum, & observare substantia- lia Religionis: at postquam parentibus subven- tum est, redire. *v. Less. l. 2. cap. 41. dub. 3. vid. & infra tr. 5. c. 1. dub. 4.*

DUBIUM II.

Ad quid teneantur parentes erga filios?

Parentes, quo nomine etiam intelliguntur a- scendentes, v. g. avus, proavus, &c. tenentur gravi obligatione juris naturalis, conservationem & e- ducationem liberorum curare. Circa quod ex *Bon. d. 6. q. 1. Azor. p. 2. l. 2. q. 17. Fill. tr. 28. c. 2. resolvun- tur hi casus.*

I. Gra-

I. Graviter peccant parentes, qui sine justa causa, prolem hospitali, vel locis publicis exponunt, *v. Bon. hic & Fill. t. 21. p. 2. c. 2. & infra tr. 1. c. 1.*

II. Mater tenetur (sub veniali tamen) lactare proprio lacte, nisi habeat justam excusationem: tunc verò tenetur sub gravi peccato, bonam nutricem quærere. *Bon. d. 6. q. 1. p. 6. Laym.* Item tenetur secundum jura prolem alere ad finem anni tertii: postea educatio usque ad emancipationem spectat ad patrem. Excipe, nisi hic esset pauper, & mater dives. *Fill. Laym. l. 5. t. 10. cap. 3. Reg. l. 20. n. 32.*

III. Pater tenetur proli, non tantùm legitimæ, sed etiam (in quo jus civile à Canonico correctum, juxta *cap. Cum haberet*) spurix curare alimenta, hoc est cibum, potum, vestitum, & honestas artes, juxta suum statum: nisi tamen aliunde se alere possit, & non indigeat; deinde etiam dotem filix. Et quidem Clerici, etiam ex fructibus Ecclesiasticis possunt hæc suis spuris præstare. *Fill. l. c. 28. c. 2. n. 28. Laym. l. 5. t. 10. p. 3. c. 5. vid. infra tr. 5. c. 4. d. 5. q. 1.* Hinc peccant, 1. si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur, habeantq; hæreditatem secundum suum statum. 2. si bona dilapidando impotentes se reddant, ad liberos honestè secundum statum suum educandos, ac dotandos. *Bon. d. 6. q. 1. p. 6. Az. Fil. &c.* si sine legitima causa filix dotem negent, (vel filium exhæredent) v. gr. quia vult ingredi, vel est ingressa Religionem, vel quia ipsis invitis nupsit, licet se indigno. *Bon. l. c. 5. 2. ex Az. Reg. &c.* vel quia filius ordinem sacrum suscepit. Sicut enim

enim Pater tenetur dotare suas proles pro matrimonio vel ingressu Religionis, ita etiam ad suscipiendos sacros ordines. Neque hæc donatio est revocabilis: imò sic donata non posse computari in legitimam, aut divisionem cum fratribus, docet *Barb. & c. 17.* Contrarium tamen tenet *Mol. & c. cum Dian. p. 8. t. 6. A. 91. & 92.*

IV. Parens tenetur proli subvenire relicta religione, iisdem casibus, quibus proles parenti, quos vid. *superiore dubio cas. 4. & 5.*

V. Parentes gravi obligatione tenentur instruere liberos per se, vel alios, in necessariis ad salutem. Hinc graviter peccant, 1. Si quantum in ipsis est, non curent ut bonis moribus imbuantur, doctrinam Christianam, seu fidei rudimenta addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei & Ecclesie observent, Sacramenta frequentent, à peccatis abstineant. *Az. Fill. Bon. l. c. 2.* Si occasiones peccandi ab iis non avertant, vel in locis, aut domibus suspectis habitare permittant. *Trull. l. d. 3. n. 4. 3.* Si consilio, vel exemplo malo depravent. 4. Si non objurgent, puniantque dissolutos: moderatè tamen; nam peccant etiam verberando immoderatè, v. g. ut notabiliter lædantur. *Sot. Sylv. Bon. l. c. & d. 3. de contract. q. ult. p. 3.*

VI. Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electi onem status. Unde peccant, invitos ad matrimoniũ vel religionem cogendo, vel abstrahendo. Et quidem *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 26.* excommunicat cogentes ad monasterium filias.

VII. Et si frater fratri, vel sorori, saltè in extrema, vel quasi extrema necessitate teneatur subvenire,

I lege

lege tum charitatis, tum pietatis: non tamen est obligatio, quæ inter parentes & liberos, cum non sit ista depêdêtia, *v. Less. l. 2. c. 41. n. 54.* Unde si Professus est in religione, non tenetur egredi, ut succurrat. *Trull. l. 2. cap. 2. d. 24. n. 8. ex Suar. & c.*

Quæres. An filius aliquando possit à Patre privari hæreditate.

Resp. Potest ex justa causa, alias non, eaq; in testamento debet exprimi. *Auth. Sed hodie. C. de inoff. test.* Talis autem censetur,

I. Ingratitudo, (nisi in gratiam Patris redierit ipsumq; pœnituerit ante testamentum conditum) ut si affecit Patrem gravi injuria, vel ejus vitæ infidiatus est, vel manus injecit, vel maleficis se immiscuit. *Bon. d. 3. q. 7. p. 5. ex Cov. Sanch, Azor. Molin. & c.*

2. Si novercam, seu Patris uxorem cognoverit carnaliter: si Parenti furioso, vel carcere detento, noluit succurrere, fide jubendo; si impediverit Patrem testari: si bona Parentum dilapidaverit, cum gravi ipsorum dispendio.

3. Si filia minor 25. annis luxuriosam vitam elegerit, &c. Circa quas.

Nota. Valere has causas, quando filius aliunde habet unde vivat: nam alimentis, ad vitam necessariis privari non potest, cum debeantur jure naturæ, quod à jure civili tolli non potest. *Bon. d. 6.*

q. 1. p. 6. §. 3. ex Sanch. Mol. Azor. Reg. Fill.

Trull. l. 4. c. 1. d. 3. & tom. 2.

l. 7. c. 17.

DUBIUM III.

*Ad quid teneantur tutores, & curatores,
qui parentum sunt loco?*

Tutor (idem est de curatore) tenetur curam gerere pupilli, ejusq; bona ritè, & fideliter administrare. Ratio. Quia in hunc finem constituitur, & assignatur pupillo patris loco. Quare si delinquat, vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter, & ad compensationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur, (& saltem de dolo & culpa lata) imò etiam, si tutoris officium exercet pretio, (quod tamen si ab initio non est constitutum, censetur suscepisse gratis) tenetur etiam de levi culpa, *Bö. de cont. di. 3. q. 19. p. 4.* Unde resolves.

I. Tutor tenetur tueri personam pupilli dum opus est, eumq; moribus imbuere, & benè educare, per se vel alios. *Bon. l.c.*

II. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideoq; (officium tutoris suscipiens) inventarium conficere, alioqui damna ex ejus defectu secuta refarcire: nec licet illi pupillo pecuniæ nimium ad usus inutiles concedere.

III. Tutor (uti & Curator) tenetur conservare omnia jura, bona & actiones pupilli, (vel Minoris) & bona alias peritura vendere, pecuniamq; convertere in emptionem bonorum stabiliū, vel in censū, &c. prout fuerit utili? *ib. ex Reb. p. 2. l. 17. q. 1.*

IV. Si tutor, vel curator pecuniam pupilli convertit in suos usus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus, vel Minor. *l.c. Rebel. q. 17.*

V. Tenetur item ad restituendos fructus (deductis expensis) quos ex bonis pupilli percipere poterat, & sua culpa non percepit. *Sylv. V. tutor. §. 4. Rebel. l. c.*

VI. Tenetur nomina debitorum exigere, & debita pupilli persolvere, ita tamen ut quantum fieri potest, bono pupilli consulat. *Sylv. Rebel. ll. cc. Tabiena ib.*

VII. Tutor vel Curator non potest donationes, vel remissiones gratiosas facere de bonis pupillis quia non ad destruendum, sed tuendum est constitutus. *ibid.* Excipe donationem remuneratorem, sic enim potest, v. g. stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere, ex liberali donatione. *Moli. Lug. d. 23. f. 10. Sanch. Trull. l. 7. c. 17. d. 8. v. Dian. p. 8. t. 6. R. 17.*

VIII. Denique tenetur (officio finito) reddere rationes: quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant. *v. Bon. de contr. d. 3. q. 19. p. 4. & infra hoc libro, t. 4. c. 3. in appendice ad contractus.*

DUBIUM IV.

Qua obligatio Dominorum & famulorum, aliorumq; Superiorum & inferiorum erga se invicem?

Resp. I. Domini, & Superiores tenentur habere curam famulorum, aliorumque suorum subditorum. Patet ex *1. ad Tim. 1. Si quis suorum, &c.* Et ratio est, quia sunt ipsorum caput, & vices parentum gerunt, ideoq; tenentur quodammodo ad ea demum, ad quæ parentes. Imprimis verò curare tenentur, quan-

quantum in ipsis est, ut fervent præcepta Dei, & Ecclesiæ, *Bon. d. 16. q. 1. p. 8.* Unde resolves.

I. Peccant Domini graviter, 1. Si sine justa causa impediunt famulos, ne festis Missam audiant; vel si festis opera servilia imponant, vel si jubeant ea, quæ sine peccato fieri non possunt, *Nav. c. 14. &c.* Si peccandi occasionem permittant, cum possint impedire: aut si graviter delinquentes non corrigant, vel negligentes necessaria ad salutem non moneant, corrigant, *Bon. l. c.*

II. Peccant item graviter, 1. Si gravibus injuriis afficiant, diabolos, canes, &c. appellent. *Bon. l. c. & Trul. l. 4. c. 1. d. 6. licet Dia. p. 7. t. 7. R. 47.* excuset à peccato talem contumeliam: quòd ex ira & indeliberatione soleat proferri. 2. Si alimenta convenientia non præbeant: mercedem justam (dummodo fideliter serviverint) non solvant, vel differant absq; rationabili causa, *Ibid. 3.* Si ante elapsam terminum temerè domo expellant: in quo casu, (nisi gravissima ex causa id fecerint) tenentur ad solutionem integræ mercedis, *Less. Azor. c. 14. q. 1. n. 117, Regin. Mol. &c. Esc. t. 3. E. 9. n. 33.* 4. Si cum, qui liberos aliosve domesticos, verbis, exemplo, vel moribus pravis corrumpit, & reprehensione non emendatur, è domo non dimittant. *Nav. c. 14. Azor. Trul. d. 61. n. 2.*

III. Herus non tenetur famulo infirmo (quamdiu ægrotat) dare salarium, (nisi in extrema, vel gravi necessitate: tunc enim debet ex charitate) imò sumptus in ejus curationem impensos potest repetere. *Moll. l. 1. t. 28. c. 4. n. 8. Esc. t. 3. c. 9.*

Resp. II. Famuli, cæteri q; subditi, tenentur suis

dominis & superioribus aliquo modo eadem, quæ filii parentibus, nimirum amorem, reverentiam & obedientiam præstare. Ratio patet ex dictis, quia sunt illis, quasi loco parentum, *S. Thom. 2. 2. q. 103. Regin. l. 20. n. 62.* Unde resolves.

I. Peccant famuli graviter, i. Si non laborent, vel serviant fideliter; tenenturque ad compensationem damni, *Molin. Less. l. 2. ca. 24.* 2. Si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum possint impedire. *Navar. cap. 14. n. 22. Fill. t. 28. c. 3. q. 10. Regin. l. c.* Et quidem si damnum illud inferatur, (sive à confamilis, sive ab extraneis) in rebus, quarum cura ipsis commissa est, à restitutione non possunt excusari, *Molin. Less. l. 2. ca. 23. d. 10. n. 65. Fill. t. 36. c. 6. q. 9. n. 114.* 3. Si absque gravissima causa discedant à domino ante terminum elapsum: ultra hunc verò manere tenentur, etiamsi morbo impediti servire aliquamdiu non potuerint, *Mol. l. c. Regin. n. 517. Escob. E. 7. n. 50.* 4. Si domino in rebus magni momenti non obediant. *Bon. l. c.*

II. Famuli non peccant; si sustentationem, vel mercedem justam domino negante, utantur compensatione occulta. *Molin. l. c. Fill. tr. 36. ca. 6. q. 3.* dummodo tamen alius modus non sit impetrandi; nec plus accipiatur, quam debetur, neque scandalum, aut aliud incommodum grave timeatur. *v. Bon. de restit. d. 2. q. ult. p. 2. n. 16.*

III. Similiter pro obsequiis, ad quæ non tenebantur, præstitis, (si quidem illa non gratis & liberaliter, sed animo mercedis exhibuerint) licere ex rebus domini accipere compensationem, quæ aliter obtinere non possit, docet *Nav. c. 17. n. 108.*

Less.

Less. l. c. Plura de his v. infra t. 5. c. 1. d. 4. & c. 3. d. 10.
& Bon. d. 6. q. 1. p. 8.

DUBIUM V.

Quid teneantur Conjuges erga se mutuò, vel
hujus praecepti?

Resp. Uxor in iis, quæ spectant ad domus gubernationem, & bonos mores, tenetur obedire marito, hic verò uxorem, non ut servam, sed ut sociam tractare. Ratio est, quia maritus est caput, & uxor commembrum. Nav. c. 14. n. 20. Tol. Fill. t. 28. c. 9. q. 6. n. 144. commun. Unde resolves.

I. Conjuges peccant 1. Si debita intentione non contrahant matrimonium. 2. Si sine dispensatione prætermittant proclamationes. 3. Si Sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis recipiant. 4. Si utantur matrimonio contra naturam, vel modo indebito, vel cum periculo abortus. 5. Si debitum sine justa causa negent. 6. Si cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.

II. Peccat graviter uxor, 1. Si maritum rixis, vel aliter verbis ad gravem iram, vel blasphemiam provocet. Fill. l. c. n. 145. & Bon. 2. Si quid notabile expendat contra voluntatem viri, & consuetudinē foeminarum similis status, nisi tamē ex paraphernalibus, si habet. 3. Si spreto viro sibi imperium vendicet. 4. Si nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodo possit sine periculo vitæ, & salutis, & contrariū nō sint pacti, & maritus post nuptias non sit factus vagus. Nav. Tol. Bon. p. 7. v. infra t. 5. cap. 1. d. 4. 5. Sine sufficiente indicio malè

judicet de mariti incōtinentia. 6. Si sine justa causa debitum neget, v. infra l. 6. 7. Si se ingerat in administrationem domus sine justa causa, qualis est, si v. g. maritus prodigus bona familiæ dilapidet. *Sylv. Trul. c. 1. d. 4. n. 18.*

III. Peccat graviter maritus, 1. Si verbis contumeliosus, vel infamatoriis afficiat uxorem. 2. Si impediatur illam circa præcepta Dei vel Ecclesiæ, sine justa causa. *Sayr. l. 7. c. 7. Nav. c. 14.* Si verò impediatur, etiam sine causa, circa ea bona, quæ consilii tantum sunt, ut est confessio, communio, &c. communiter tantum peccat venialiter, nisi constet, quod magnam ex iis utilitatem percipiat, *Sayr. Fill. Bon. q. 1. p. 7. Trul. 3.* Si cædat graviter, moderatè tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis & status, quandoq; potest. 4. Si alimenta neget, nisi tamen uxor à consortio mariti propria culpa discesserit. 5. Si negligat gubernationem domus, & rem familiarem. 6. Si uxori non cohabitet, vel sine justa causa diu absit. 7. Si cum possit alimenta non procurret, v. *Fill. n. 140 & 141. Nav. c. 14. n. 19. Tol. l. 5. c. 2. Sanch. l. 10. de matr. di. 18. n. 16. Bon. p. 7.*

DUBIUM VI.

Quæ obligatio Parochorum erga suos?

Resp. Curatus, sive Parochus jure divino tenetur,

I. Residere in sua Parochia. *Trid. sess. 23. c. 1. de refor. Bar. de off. Paroch. ca. 8. n. 1.* alioqui in conscientia fructus non facit suos, teneturque pro rata absentia restituere fabricæ Ecclesiæ, vel causæ piæ.

Po.

Potest tamen ex justa causa & licentia Episcopi ad breve tempus abesse, v. Nav. c. 25. Az. t. 2. l. 2. c. 4. Possen. Barbos. Trul. l. 4. c. 1. d. 8.

2. Tenetur administrare Sacramenta, quoties & quanto cum periculo. v. infra & Bon. t. 1. d. 4. q. 5 p. 2. Poss. Barb. ll. cc.

3. Orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat Missam: quam etiam teneri cum eidem applicare diebus saltem festis, & aliquot aliis, docet Tol. l. 3. c. 5. Sed negat Suar. Cón. in 3. p. q. 83. a. 1. d. 11. cum nullo jure id cautum sit. v. Bon. q. ult. Barb. l. c.

4. Docere populum, concionando, arguendo, &c. per se vel alios, Tol. l. 5. c. 5. Poss. Barb. Trul. ll. cc. v. supra.

5. Tenetur singulis diebus Dominicis, & festis solennibus populo doctrinam Christianam explicare, per se vel alium, ut constat ex Trid. Sess. 24. c. 4. de ref. idque sub gravi obligatione etiam juris divini, ob summam necessitatem, propter quam eos ab Episcopis, aliisque Prælatibus ad id cogi posse sub pœna excommunicationis, (omnesque alios, ut eam audiant, discant & sciant) docet Trul. l. 1. c. 1. d. 4. n. 7. & 8. Baldel. to. 2. l. 1. d. 48. ex Sanch. Pala. Barb. &c.

6. Tenetur infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, &c. de quibus Poss. Reg. 1. 2. l. 20. c. 5 f. 3. Barb. c. 7. v. supra.

DUBIUM VII.

Qua obligatio Præceptorum & discipulorum?

Resp. Inter Præceptores (idem est de pædagogis)

gis) & discipulos est quodammodo eadē obligatio, quæ inter parentes & liberos: *Vnde resolves.*

I. Discipuli peccant. 1. Si Præceptoribus & pædagogis non exhibeant honorem & reverentiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad studia, & bonos mores. 3. Si eos convitiis, vel contumeliosis verbis traducant. 4. Si negligenter student, scholarum aut studiorum tempore lusui vacent, vel otio. 5. Pecunias parentum dilapident, vel inutiliter expendant. 6. Malo fine studeant. 7. Gymnasii sui leges, vel Academiae statuta (si quidem ea ad peccatum obligent) non servant. 8. Scientias superstitiosas aut veritas addiscant, vel libros prohibitos legant. 9. Stipendium debitum doctori suo non solvant, cum possint, *v. Nav. c. 13. & 21. Fil. tr. 28. p. 2. c. 10 q. 1.*

II. Magistri & pædagogi peccant, 1. Si peccata discipulorum dissimulent, & non corrigant, quando possunt. 2. Profectum eorum in literis non sedulo promoveant. 3. Non doceant bonos mores. 4. Si ex proposito falsa doceant, ut vera, vel superstitiosa & saluti noxia. 5. Non studeant ipsi, ut officio satisfaciant. 6. Si stipendium exigant majus justo, vel quàm Gymnasii leges, aut consuetudo permittat. 7. Doctoratus insignia negent dignis, vel indignis conferant, quod *Nav.* dicit esse mortale, præsertim in Theologia, Jure Canonico, Civili, & Medicina: nam in Philosophia fortè veniale tantum esse censet *Caj. V. Doctoratus.* 8. Si discipulis malo sint exemplo. 9. Si malis moribus imbutos, & qui aliis perniciosi sunt, ad scholas admittant, vel ex his non dimittant. *v. Trul. l. 4. cap. 1. dub. 11.*

TRA-